

VI.

Die ersten Statuten der Wittenberger Artistenfacultät v. J. 1504.

Von

Dr. Th. Muther.

In der Festschrift, welche der „Thüringisch-Sächsische Verein zur Erforschung des vaterländischen Alterthums“ zur fünfzigjährigen Feier der Vereinigung der Universitäten Wittenberg und Halle herausgegeben hat (Halle, Verlag der Buchhandlung des Waisenhauses. 1867. 4.) sind die Wittenberger Universitäts- und Facultätsstatuten v. J. 1508 mitgetheilt. Es ist auch in den Prolegomena zu dieser Ausgabe (p. 18) bereits darauf hingewiesen, dass die Artistenfacultät in Wittenberg schon im Jahre 1504 eine Zusammenstellung ihrer früheren einzelnen Beschlüsse zu einem Ganzen vorgenommen hat und dass auch diese „*Priora Statuta Collegii Artistici*“ noch vorhanden sind. Eine Abschrift derselben befindet sich im Besitz der Philosophischen Facultät der Universität Halle-Wittenberg in einem als „*Matricula II.*“ bezeichneten dicken Lederband in Folio, welcher in den oben angezogenen „Prolegomena“ (pp. XXVI. XXVII.) näher beschrieben ist.

Wir kommen nunmehr unserem bei Herausgabe der Statuten von 1508 abgegebenen Versprechen, auch die Statuten der Artistenfacultät von 1504 zum Abdruck gelangen zu lassen, nach. Es ist dabei im Ganzen in der nämlichen Weise und nach den nämlichen Grundsätzen verfahren worden, wie bei der Edition der Statuten von 1508. Die Abschrift der „*Priora Statuta*“ von 1504, welcher wir folgen mussten, ist zweifelsohne erst in späterer Zeit (1599 oder nicht lange vorher) gemacht und sehr fehlerhaft. Wir waren daher, um einen lesbaren Text herzustellen, mitunter genöthigt Conjecturen aufzustellen, von denen nicht alle zweifellos sind. Sollte Jemand in dieser Beziehung besseres zu geben im Stande sein, als wir es vermochten, so werden wir iede Zurechtweisung dankbarst acceptieren.

Rostock, im Februar 1871.

Priora Statuta Collegii Artistici de anno 1504.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis Amen.

Volens insignis Facultas artistica almae Vniuersitatis nostrae sibi commissos filios et salutaribus fulgere virtutibus et doctrinis laudatis decorari, quatenus ab ignorantiae purgati squalore scientias alias sortire valeant et fructum gignere in Domino profuturum, Statuta quaedam per ipsius Facultatis supposita pro tempore diuina fauente clementia inconuulse seruanda maturo deliberamine praeuio condidit et fecit ipsiusque Vniuersitatis nomine subeunte facit¹ et ordinat per praesentes haec, quae sequuntur, capitula.

Inprimis itaque sanctissimam Dei virginem et martyrem Katherinam, quae sapientum vietrix exstitt gloriosissima, ipsa Facultas in patronam eligens dignissimam statuit, a posteris singulis ipsius facultatis suppositis et inuiolabiliter obseruari voluit, vt ipsius sanctae Katherinae festum per eam Facultatem cum primis Vesperis et Missa solenni solitaque collatione peragi debeat et celebrari. Praeterea, quia fratribus et benefactoribus nostris vices reddere iubemur, atque pro ipsius Facultatis incremento vberiori ordinauit, vt eorundem fratrum et benefactorum omnium defunctorum memoria cum Missa solita annis singulis die Mercurii angariali in quadragesima peragatur. His itaque Missis praememoratis Magistros omnes et Nobiles, Baccalaureos quoque et Scolares ipsius Facultatis habituque decenti debitaque reuerentia a principio usque in finem interesse, debito seruato ordine offerre, voluit subpoena quinque grossorum.

Quocirca statuit similiter, vt Decanus ipsius Facultatis eosdem omnes et singulos per publicam intimationem conuocet suis suppositis mandando, Doctores vero et alia Vniuersitatis supposita, quatenus missis huiusmodi interesse velint, exhortando, prout ipsam artisticam Facultatem magis honorare cupiant.

Prouideat quoque Decanus pro tempore de singulis officiorum huiusmodi necessariis et opportunis, videlicet de presbytero celebrante, ministrantibus, cantoribus, candelis, et pannis super fereum ponendis. Exponat denique ipse de fisco Facultatis praemissorum intuitu: celebranti vnum grossum, cuilibet ministrantium

¹ facitque Codex.

octo denarios, totidem Rectori Scolarium, Organistae et eum iuantibus quindecim denarios, Cantoribus in festo Katherinae grossum cum dimidio, Sacristae octo denarios, iuuenibus candelas Facultatis deferentibus medium grossum, pauperibus denique, praeципue Scolaribus, duo grossi distribuantur.

De modo Exequiarum.

Placuit quoque, vt exequiae honeste iuxta defuncti qualitatem peragantur, ita quod pro diuitibus moderati sumptus cum candelis et aliis fiant, pauperum vero exequiae per Facultatem, dei intuitu singula, expendantur.

De Matricula et regentibus in Facultate artium et quis ipsius membrum censeatur.

Statuit artium Facultas, quod omnium Magistrorum in artibus regentium sit vna Facultas concors ab uno Decano regenda, in qua regens non censeatur, nisi Magister in Matriculam Facultatis inscriptus et eidem iuratus, qui disputationes ordinarias sub poena parentiae pecuniarum visitauerit et ordine suo disputauerit forma leque exercitium annis singulis rite perfecerit.

De Intitulatione suppositorum Facultatis.

Baccalaureandus quoque volens Facultati artium incorporari et in artibus continuare similiter inscribatur, alioquin ipsius Facultatis membrum minime censeatur actusque, lectiones, exercitia, si qua compleuerit, ad gradus adeptionem sibi nequaquam computentur.

Magistros vero nostrae Facultatis Matriculae non inscriptos hic in ipsa nostra Facultate regere, legere, aut disputare, actusque, lectiones et exercitia ab eisdem audita ad gradus in artibus adeptionem computari, Scolares quoque nostros audire tales nequaquam volumus, sub graui poena a Facultate artium indubie dictanda. Quocirca dicta Facultas decreuit habere Matriculam quandam specialem, in qua omnia supposita promota conscribere possit. Et si deo volente Magistrum vel Baccalaureum nostrae Matriculae sic inscriptum viam vniuersae carnis migrare contigerit, ex tunc ex Facultate illius defuncti tamquam fratris nostri secundum ordinem desuper conceptum exequiae peragi debeant.

Salarium¹ intitulatura.

Praeterea statuit Facultas, vt quilibet siue Magister siue Bacalaureus pro inscriptione in Matriculam Decano persoluat duos grossos.

De fisco Facultatis artium.

Placuit, quod Decanus fisco deputata in arcam Facultatis diligenter reponat, cuius arcae clauem habeant duo seniores Magistri utriusque viae vel duo consiliarii, cum Decano iuraturi, quod fideliter res commissas cum clauibus velint custodire.

De electione Decani eiusque officio, iuramento et potestate.

Statuit artium Facultas, vt Rectore Vniuersitatis electo statim eodem die Decanus pro tempore omnes Magistros de consilio Facultatis ad electionem noui Decani conuocet per Pedellum nominatum et ex tunc eligatur per iuramentum praestitum in Decanum Magister idoneus, grauis, morigeratus, actu regens, qui ad minus quatuor annorum sit Magister; ita quod, in quem maior pars Facultatis consenserit, aut in quem antiquus Decanus parilitate votorum concurrente declinauerit, habeatur Decanus solum vnius anni cursum permansurus. Qui et Decanatum, postquam sibi de electione constiterit, infra diem naturalem sub poena II. florinorum fisco Facultatis applicandorum assumere teneatur. Iuret quoque sic primum electus in manus antiqui Decani vel senioris Magistri in praesentia totius Facultatis hoc modo.

Iuramentum Decani.

Ego iuro et promitto vobis, Domino Decano antiquo, aut vices gerenti, totique Facultati artium, quod fideliter pro Facultate artium agere volo, officium meum accurate exercere, Statuta et in Facultate conclusa pro posse manutenere, congregations Facultatis iuxta ordinationes et Statuta facere, ordinationes et Statuta Facultatis infra mensem debita exhortatione pro suppositorum moribus et disciplina in scholis publicare, Sigillum, librum Statutorum et actorum, Matriculam et alia per antiquum Decanum mihi oblata et commissa sub fida custodia tenere, nullas litteras absque Facultatis expresso consensu vel Consiliariorum sigillare, rationem de singulis perceptis et expositis infra mensem post mei

¹ Solarium Codex.

officii resignationem coram Facultate fideliter facere et Facultati in promta pecunia de restantia satisfacere, Statuta denique me concernentia infra octo dies perlegere.

Officium praeterea Decani sit: in disputatione ordinaria singula disponere, a recitatione positionum vsque in finem per se vel alium permanere; congregationem cum articulorum formatione, horam comparandi praeter Consiliariorum consensum (nisi necessitas exposcat) non facere et illam per schedulam cum articulis deliberandis, nisi causa obstiterit, sub poena arbitraria a Facultate infligenda intimare; vota singulorum secundum ordinem attente colligere, iuxta pluralitatem votorum tunc praesentium vel cum suo, si paria fuerint, concludere; omnia conclusa sub suo officio signare, signata infra mensem post resignationem officii, vt memoratu digna in libro actorum signentur, coram Facultate pronunciare; receptos ad regentiam Facultatis ad Matriculam suo ordine conscribere; singulos excessus et negligentias in publicis et bursalibus actibus Magistrorum et suppositorum pro posse corrigeret et emendare; ad hoc etiam, si opus fuerit, Facultatis vel Vniuersitatis auxilium implorare; sine Facultatis consensu ab hoc oppido ad quindenam non absentare, suas autem vices antiquo suae viae Decano vel seniori Magistro committere; festa Facultatis artium, vacantias et cessationes ab artibus per Pedellum ausatiis intimare et rebelles Magistros a regentia cum consilio Facultatis, donec satisficerint, suspendere. Et, vt Decanus huic suo officio accuratius intendere possit, placuit Facultati, vt is ipse ex fisco Facultatis IV florenos cum intitulatura baccalaureandorum et magistrandorum non obstantibus aliis sibi debitibus leuare habeat.

Quantum exponere possit nomine Facultatis.

Denique statuit Facultas, vt in antea Decanus non habeat neque debeat exponere quicquam nomine Facultatis vltra quartam partem floreni, nisi cum omnium conformi Magistrorum de consilio Facultatis nullo discrepante consensu. Non etiam is ipse Decanus huiusmodi quartam floreni partem ad minus expendat, nisi vniiformi suorum Consiliariorum¹⁾ concurrente assensu nullo contradicente.

¹⁾ consiliariorum Codex.

De Consiliariis Decano deputandis eorumque officio et iuramento.

Amplius statuit Facultas et ordinavit, vt, quo Decanus eligitur die, eligi debeant¹ et duo Consiliarii eiusdem, quorum unus Decanus antiquus immediatus, si commoditas admittat, alter vero alterius viae ad minus trium annorum Magister existant. Quorum consilio Decanus facere debeat congregaciones altero eorum cum Decano dictante.

Iuramentum Consiliariorum.

Iurabunt itaque Consiliarii iidem² coram Facultate in manus Decani, quod officium eorum fideliter exercere velint sine dolo. Sit autem eorum officium: de congregationibus Facultatis faciendis sub poena per eos dictanda cum Decano deliberare; Decanum, quotiens utile et necessarium, pro facienda congregatione requirere; sigillo Facultatis cum Decano sigillare; denique ad iussum Decani, quotiens per Pedellum vocati fuerint in negocio, ad eundem venire et properare. Item statuit Facultas, quod electus in Consiliarium, si iurare recusat, vt praemissum est, solvat pro poena I florenum fisco Facultatis applicandum.

De consilio Facultatis ac qui et quales ad ipsum recipi debeant praestandoque iuramento per eosdem.

Placuit Facultati, vt de cetero omnes Magistri, qui in regentia Facultatis duos annos compleuerunt, sub poena amissionis regentiae ad consilium Facultatis recipi petant, qui et omnes recipientur, nisi canonicum obstiterit impedimentum, ita tamen, quod habito singulorum consilio nonnisi parium de singulis viis vota computentur a senioribus³ de consilio inchoando.

Statuit insuper ipsa Facultas, vt ad consilium recipi desiderans, priusquam recipiatur, iuramentum in manus Decani solenne praestet, vt sequitur:

Primo iurabit, quod super omnibus propositis sanius consilium dare velit, prout sua conscientia super re proposita dictauerit, quodque bonum Facultatis, unitatem, pacem, et honorem pro posse et nosse procurabit.

Item, quod secreta consilii Facultatis artium et quaecumque Decanus eiusdem mandauerit non reuelare velit, vel perpetuo vel ad tempus, iuxta facti qualitatem.

¹ debent Codex.

² idem Codex.

³ senatoribus Codex.

Item, quod Magistrum sic vel sic deliberantem, praecipue in odiosis, directe vel indirecte nutu, vel signo, non prodat, veneranter Decanum et seniores Magistros de Facultate tractabit, Decano eiusdem in his, quae Facultatem concernunt, oboediat; vocatus denique a Decano sub poena in schedula conuocationis dictata vel dictanda, compareat.

De supplicationibus et querelis.

Praeterea statuit Facultas, quod quilibet in Facultate contra alium querelam faciens, is quoque, aduersus quem querela formatur, vel saltem pro se aut alio supplicans, mox formata querela vel supplicatione exeat, donec proxima deliberatione Decanus duxerit reuocandum, ita tamen, quod in aliis forsitan tunc propositis articulis voto suo is non spolietur.

Ceterum statuit Facultas, quod si vocatus ad consilium non comparuerit vel etiam per Pedellum pluries quaesitus repertus non exstiterit, quod tunc alii praesentes de consilio concludendi et disponendi habeant facultatem, ac si absentes praesentes forent, si saltem nulli viarum quid praeiudiciale tractetur.

De lectionibus et exercitiis pro vtroque gradu.

Statuit Facultas artistica, vt Decanus omni anno ad festum sancti Ambrosii singulos Magistros in Facultate eadem regentes (solis canonicis exceptis) conuocet sub poena priuationis regentiae ad eligendum lectiones et exercitia formalia pro anno instanti fienda, ita tamen, quod discreta fiat in qualibet via electio a Magistris eiusdem viae secundum ordinem senii procedendo. Quodsi numerus exercitiorum a numero Magistrorum regentium et eligentium defecerit, possunt pro tunc Magistri illi, quos ordo non tetigerit, cum quibuscumque superioribus concurrere. Si autem aliquid nondum electum restat, Facultas, vt eligatur, prouideat. Item placuit Facultati, quod Magister librum, quem semel elegit, infra quinquennium denuo eligere eundem non possit.

Item statuit similiter, quod unusquisque Magistrorum legens aut exercitans statim ad contractum horae scolas intret, lectionem aut exercitum incipiat per horam integrum continuando et non ultra, ne alios actus impedit. In hebdomada, si fuerit integrum, nonnisi festum faciat unum, in non integrum nullum, nisi festum

aliquid Collegii in tali septimana occurrat sub graibus poenis a Facultate infligendis. Nec citra tempus suae lectioni aut exercitio praefixum et vt infra a Facultate diffinitum est, ipsum exercitium vel lectionem finire praesumat, neque ultra spatium vnius septimanae excedat sub poena a missionis pastus eiusdem exercitii aut lectionis dolo tamen et fraude seclusis.

Amplius placuit Facultati, quod is seruetur legendi ordo, vt videlicet primum Magister cum diligentia morose textum legat, quaternis Scolares omnes textus suos, quos habere debent, corrigere possint et punctare. Deinde textum diuidendo et artificia-
liter continuando, nihil ad pennas tradendo dumtaxat exceptis diuisionibus, continuationibus et sententiis, textus eius summariam per modum conclusionis exprimat.

Ceterum statuit, vt infra scripti libri legantur et exerceantur ordine suo et tempore annotatis pro pasto eis annexo, ad quem integre teneatur quilibet Baccalaureus siue Scolaris, ad minorem non, praeter Decani et ad taxam deputatorum decreto.

Exercitia pro Scolaribus cum Lectione:

Isagoge Porphyrii { lectio
exercitium } hora secunda.

Praedicamentorum eisdem horis et peri hermenias.¹

Priorum Analyticorum eisdem horis.

Posteriorum Analyticorum { lectio
demonstratio tractatu de ignorantia } exercitium hora { octaua.
secunda. }

Quatuor Topicorum { ab iisdem horis.
Elenchorum }

Exercitia pro iisdem absque lectione:

Primus, quartus et quintus tractatus Physicus.

Secundus et tertius.

Parua logicalia.

Et secundum hanc ordinationem Scolaris per integrum annum semper habet unam lectionem et duo exercitia, sed ab Urbani usque Vdalrici unam habet lectionem et tria exercitia.

Summa pastus exercitiorum formalium et lectionum pro gradu baccalaureatus quatuor floreni.

¹ perihermenias Codex.

Exercitia pro Baccalaureis cum lectione:

Physicorum quatuor primi a...¹ { lectio
exercitium } mane hora quarta.

Pretium de iisdem est. ...²

Quatuor vltimi a...³ eisdem horis leguntur et exercentur.

De coelo et mundo praeter tertium { lectio
exercitium } hora sexta.

De generatione et corruptione { lectio
exercitium } vt supra.
a...⁴ primum

De anima a...⁵ pretium...⁶

Metaphysica praeter tertium et vndeclimum a Lucae vsque
Purificationis aut Valentini.

Meteororum a Purificationis aut Valentini vsque Philippi.

Ethicorum a Philippi vsque Natiuitatis Mariae.

Parua naturalia a Natiuitatis vsque Lucae.

Exercitia pro Baccalaureis:

Ethicorum quinque primorum.

Paruorum naturalium pastus II. floreni.

Meteororum trium primorum.

Summa pastus pro eisdem artibus quatuor floreni cum dimidio.
Itaque Baccalaureus per anni circulum diebus, quibus legendum
est, duas lectiones habebit, cum duobus exercitiis.

De ordinaria disputatione Magistrorum.

Statuit artium Facultas, quod Magister actu regens, quotiens-
cumque eum ordo tetigerit, in habitu ordinarie disputare teneatur
sub poena medii floreni, nisi forte illo tempore praesens non esset,
vel ex rationabili causa, quam Decanus cum Consiliariis approbare
habeat, pro tunc disputare non possit. Ex tunc enim Decanus,
ne scolae negligantur, de alio disputante prouidebit. Nihilominus
Magister talis neglectam disputationem huiusmodi posterius sup-
plebit sub poena priori, si saltem de regentia Facultatis esse
velit. Circulo autem finito Decanus pro tempore existens tanquam

¹ Hier fehlt die Angabe der Zeit im Codex. Oder ist das a. mit anno
aufzulösen? ² Die Zahl fehlt im Codex. ³ Wie Not. 1. ⁴ Wie
Not. 1. Vielleicht ist vor primum noch praeter ausgelassen. ⁵ Wie
Not. 1. ⁶ Wie Not. 2.

caput Facultatis primum et ante omnes alios disputabit, nisi forte Rector Vniuersitatis pro tunc ex regentia Facultatis fuerit, qui Decanum tunc praecedere habebit. Itaque deinceps alii Magistri secundum ordinem Matriculae disputent hora sexta in aestate et septima in hieme inchoantes. Sophistae numerum senarium excedere non debebunt, ex quibus ad minus vnum grammaticus sit, qui per horam audiatur. Deinde disputans duobus tantum quaestiones proponat, contra quorum positiones tres aut quatuor rationes adducat. Ad has etenim quaestiones duntaxat quatuor Baccalaureos ad maximum sibi contradicentes respondere volumus. Insuper statuit artium Facultas, vt nullus arguens vltra tria proponat argumenta, quorum etiam duo tantum ducat. Decanus etiam praesidentem et respondentem, si opus fuerit, dirigat. Idem faciat in eius absentia ille, cui Decanus vices commiserit, aliis tacentibus sub poena septem grossorum fisco toties applicandorum.

Talis autem disputatio deinde qualibet septimana semel sabathina die fiat, in qua Decanus cuilibet disputanti suo ordine medium grossum distribuat, duplo semper Decano et praesidenti cedente.

De statu Studentium Facultates artium.

Placuit, vt quilibet tam Baccalaureus quam Scolaris diligenter audire teneatur omnes lectiones cum exercitiis secundum suum statum, vt praemissum est, a principio vsque ad finem, et hoc ex proprio vel alieno textu, ita tamen, quod audientes ex uno textu numerum ternarium non excedant. Lectiones quoque et exercitia neglecta et in quibus insolentias commiserit, signare teneatur sub poena retardationis in finem, vt tempore admissionis ad temptamen super his coram Facultate deponere et dispensationem petere possit. Insuper, ne Baccalaurei aut Scolares ab actibus formalibus quacunque occasione retrahantur, statuit artium Facultas, vt nemo¹ tempore disputationis ordinariae tam Magistrorum quam Baccalaureorum resumere, aut alium quemcumque actum scholasticum facere praesumat sub poena duorum grossorum fisco applicandorum totiens, quotiens huic contrauenerit Statuto.

Item statuit, quod singuli Scolares et Baccalaurei in tertia aut quarta lectione, similiter et exercitiis, se inscribi faciant.

¹ Fehlt im Codex.

Et ante finem totalis libri singuli cedulas recognitionum recipiant de auditis, quas etiam tempore admissionis ad temptamen Facultati praesentent sub poena retardationis. Magistris quoque pro pastu in promta pecunia vel pignore infra duos menses redimendo, satisfaciant. Quodsi quis dolose se non inscriberet et cedulam recognitionis non receperit aut etiam Magistro non satisfaceret, eidem liber ille pro audito non reputetur eundemque reaudire teneatur. Et nihilominus Magistro legenti in integro pastu sit obligatus.

De numero disputationum et responsionum.

Praeterea statuit Facultas, vt quilibet promouendus in artibus visitare teneatur triginta disputationes ordinarias Magistrorum. Scolaris quidem a principio, Baccalaureus vero a propositione quaestionum vsque ad finem rationabili cessante causa perseveret, quousque gradum, ad quem anhelat, adeptus fuerit, sub poena non computationis.

Praeterea statuit Facultas, vt quilibet promouendus in artibus tam Baccalaureus quam Scolaris quater ad minus Magistris ordinarie (aliasque totiens, quotiens a Magistro viae suaे requisitus fuerit) respondere sit astrictus.

Item quilibet Scolaris promouendus diligenter visitare teneatur triginta disputationes ordinarias Baccalaureorum dominicis diebus principis vsque ad finem sitque astrictus Baccalaureo vel Baccalaureis, quater ad minus diebus dominicis respondere.

De tempore completionis.

Rursus statuit artium Facultas, quod quilibet promouendus in artibus siue Baccalaureus siue Scolaris debet compleuisse studio vacando annum cum dimidio in hac vel alia Vniuersitate, aut saltem in nostra et alia, a sede Apostolica priuilegiata computando tempus, exercitia et lectiones a die intitulationis in Matriculam Vniuersitatis vel Facultatis, si Baccalaureus fuerit.

De facultate dispensandi cum Scolaribus.

Habet etiam Facultas plenam facultatem dispensandi cum Scolaribus in quarta parte anni, cum Baccalaureis vero ad magisterium in dimidio anno, rationabili tamen causa id exigente, puta quodsi habeat Magistrum pro eo deponentem, aut alias sufficiens reperiatur.

De his, qui de vna via ad aliam se transferunt.

Statuit similiter Facultas, quod Baccalaureus vel Scolaris de vna via ad aliam se transferens ad minus teneatur in alia pro adeptione gradus annum compleuisse absque dispensatione. Quod intelligi volumus de Scolaribus vel Baccalaureis in nostra Vniuersitate nutritis. Quodsi etiam is per annum a nostra Vniuersitate se absentauerit et postea reuersus fuerit, liber sit, tamquam aliunde veniens.

De modo admittendi et repellendi.

Item statuit Facultas, quod de cetero in dispensationibus a Scolaribus pro excessibus aut negligentiis aut quibuscumque aliis nihil recipiatur, sed admittendi simpliciter admittantur, et repellendi simpliciter repellantur, Magistrorum tamen iure saluo, quo Scolaris II grossos et magistrandus duplum dare debet.

De insolentiis vitandis.

Nullus itaque tempore lectionum, disputationum aut exercitiorum, trufis vel insolentiis, Magistrum aut Scolares afficere, molestare, aut impedire praesumat sub poena retardationis.

Denique nullus Baccalaureus vel Scolaris cedulas, actus, aut lectiones, nostrae Facultatis intimantes ante tempus debitum, pulsum scilicet Vesperarum, deponat sub poena vnius floreni.

De resumptionibus.

Statuit Facultas, vt quilibet Scolaris a Magistro regente quo-cunque voluerit (Conuentoribus dntaxat exceptis) audire possit repetitiones siue resumptiones, omnium vel aliquorum librorum formalium gradum, ad quem anhelat, concernentium in vltimo anno. Qui pastus nomine dare debet per septimanam vnum grossum. Baccalaureus vero a suis Conuentoribus solum (si voluerit) audiat resumptiones, nisi forte Conuentores resumere non possent aut vellent. Si autem Scolaris vel Baccalaureus alias resumtiones desideraret, audire poterit illos, prout maluerit, a quocunque, ita tamen, quod Scolaris per septimanam vltra grossum medium, Baccalaureus vero grossum integrum non grauetur. Neque Magister facultatem habeat minus recipiendi, nisi forte iuxta taxam minus decerneretur.

De Taxatoribus.

Statuitur, vt qualibet mutatione Decanus publice intimet, quod, si qui paupertate grauati pro exercitiis integrum soluere non habeant, tales coram eo et Conuentoribus aliisque duobus vnius cuiusque¹ viae Magistris ex consilio Facultatis ab ipsa Facultate sibi adiunctis certa hora compareant taxam pastus recipientes sub poena solutionis integri pastus. Hanc autem taxationem Facultas et Decani et Taxatorum conscientiis relinquit eorum conscientias huius praetextu volens esse oneratus.

De Magistris et Baccalaureis aliarum Vniuersitatum.

Facultas statuit, quod Magister vel Baccalaureus alibi promotus et ad nostram Facultatem recipi et ei incorporari desiderans, priusquam ad aliquem actum scolasticum admittatur, inscriptus sit Matriculae huius almae Vniuersitatis et eiusdem iuratus. Deinde de gradu suo coram tota Facultate per testes aut per litteras patentes, vel iuramentum (si conditione personae attenta facultati videatur sufficere), doceat sufficienter ad respondendumque publice in disputatione ordinaria petat. Quo facto, si denuo petat et Facultati acceptandus videatur, iurabit in manus Decani coram Facultate haec, quae sequuntur, capitula:

Primo, quod Magister sit vel Baccalaureus Vniuersitatis, vti proposuit;

secundo, quod pro posse suo manutenebit Statuta, ordinationes et libertates Facultatis sub poenis in ipsis contentis;

tertio, quod Decano et senioribus Magistris venerantiam exhibebit;

quarto, quod bonum et incrementum Facultatis artium studeat procurare ad quemcumque statum contingat ipsum peruenire;

quinto, quod ad vocationem Decani Facultatis artium, quotiens pro bono ipsius vocatus fuerit, sub poena in schedula conuocationis contenta compareat;

sexto iurabit Baccalaureus, quod non velit hic in Vniuersitate deferre caputum cum pellibus de vario aut serico foderatum, nisi super his fuerit secum dispensatum, vel fortasse in Magistrum, Doctorem, aut alium praeclarum contingat eum promoueri.

¹ unusque Codex.

De locatione eorundem.

Amplius statuit ipsa Facultas, quod Magister vel Baccalaureus alterius Vniuersitatis ad regentiam siue consortium Baccalaureorum receptus duntaxat illos Magistros vel Baccalaureos, praecedat ordine et loco, quos antecedit in magisterio vel Baccalaureatu, medietate annorum sibi defalcata. Et si Magister vel Baccalaureus nostrae Vniuersitatis in anno promotionis secum concurret, etiam locum ante talem Magistrum vel Baccalaureum alterius Vniuersitatis habebit, nisi super his concorditer singulorum voto nullo contradicente specialiter fuerit dispensatum. Item Magister sic assumptus tenetur fisco Facultatis persoluere vnum florenum, Baccalaureus dimidium, et quilibet illorum Decano II grossus pro intitulatura.

Denique nullus Baccalaureus membrum Facultatis esse censatur, nisi Matriculae Vniuersitatis atque Facultatis rite inscriptus et iuratus fuerit, neque lectiones, exercitia, aut alii actus scholastica ad aliquem gradum in artibus sibi proficiant, aut quomodo libet computentur, nisi praenotato modo Facultati artium rite sit incorporatus.

De temptamine pro vtroque gradu.

Statuit Facultas, quod tempore temptaminis instantे Decanus per publicam intimationem Scolaribus vel Baccalaureis examini se submittere volentibus notificet, quod die praecedente conuocationem Facultatis artium pro admissione seu dispensatione super defectibus, coram ipso certa hora pro intitulatura compareant subpoena non admissionis pro hac vice. Quibus sic comparentibus Decanus et nomina et ordinem eorum ex Matricula Vniuersitatis aut etiam Facultatis, quoad Baccalaureos, colligat et conscribat, vt tempore dispensationis Facultatem super his certiorem reddere possit.

Iuramentum admittendorum ante dispensationem.

Statuit artium Facultas, quod quilibet Scolaris vel Baccalaureus se temptamini pro aliquo gradu submittere volens, priusquam ad recitationem suorum defectuum admittatur, et antequam in congregacione Magistrorum de regentia Facultatis super moribus et idoneitate eius deliberetur, iuret in manus Decani, quod sit membrum huius Vniuersitatis vel Vniuersitatis et Facultatis, si

Baccalaureus fuerit; item, quod nec verbo nec facto se velit vindicare per se vel per alium, directe vel indirecte, quo quis quaesito ingenio vel colore, in quantum retardatus fuerit, vel reiectus, vel aliter, quam sibi placuerit, locatus; item, quod secreta Facultatis aut camerae non velit reuelare, praecipue quae a Decano mandantur non reuelanda.

Quomodo qualificati esse debeant promouendi.

Statuit Facultas, quod nullus Magistrorum aliquem inhabilem, infamem, vel cui legitimum obstiterit impedimentum, ad examen licentiae vel Baccalaureatus promoueat, aut pro ipso deponat sub pena suspensionis a regentia, vel alia a Facultate infligenda.

Quocirca statuit artium Facultas, vt subscripti a temptamine sint exclusi: videlicet: lusores, discoli, brigatores, infames, Doctribus vel Magistris irreuerentiam exhibentes, in vestibus contra prohibitionem Vniuersitatis incedentes¹, aut alias se non scolastice regentes, lupanar aliae loca suspecta mulieresque suspectas frequenter visitantes, qui et coram Rectore propter excessus saepius comparuerunt, praesertim etiam hi, qui propter retardationem aut aliam causam quancunque minas imposuerunt, aut Magistru verbis vel factis, per se vel alium, publice vel occulte, affe- rent et molestauerint, tales omni spe careant promotionis, donec Magistro et Facultati satisfecerint.

Item statuit similiter, vt nullus Scolarium aut Baccalaureorum, amplius ad examen vel temptamen, admittatur, nisi Magistru vel Magistros, de singulis exercitiis, lectionibus et aliis quibuscumque Bursam concernentibus realiter persoluerit et cum effectu, quodque quilibet Magistrorum in praesentia Facultatis contra talem deponere astrictus sit bonae fidei debito. Ceterum statuit Facultas, quod Magister repetens vel resumens, vna cum Conuentoribus de sufficientia vel insufficientia, sui Scolaris vel Baccalaurei, tempore praeresentationis coram Facultate deponat et curam ipsius prae ceteris habere teneatur.

De negligentiis et defectibus.

Item, vt Studentes magis disciplinae vacent, statuit ipsa Fa- cultas et ordinauit, quod Scolares et Baccalaurei tempore dispen-

¹ incedens Codex.

sationis siue admissionis ad temptamen, per iuramentum recitare teneantur numerum lectionum et exercitiorum et disputationum¹ per eos neglectarum in finem, vt, si quis Scolarium vel Baccalaureorum sine legitimis causis (quas pro tunc alligare teneatur) neglexisset in aliquo librorum formaliter pro gradu requisitorum tot lectiones aut exercitia aut disputationes, quod Facultati cum tali non videatur dispensandum, ex tunc is ad temptamen vel examen non admittatur.

Vult insuper dicta facultas, quod, qui in lectionibus aut exercitiis aut disputationibus² a principio vel circa id ipsum non fuerit, illis eadem lectiones aut exercitia aut disputationes in numerum neglectorum³ computentur. Qui autem tempore lectionum, exercitiorum, aut disputationum, trufas aut alias insolentias, quibus alios audientes vel saltem Magistrum legentem impediuerint, commiserunt, poena retardationis coherceantur.

Iuramenta promouendorum.

Item promouendus in artibus, priusquam ad temptamen admittatur, iuret in manus Decani coram tota Facultate haec, quae sequuntur, capitula:

Primo, quod a die intitulationis suae in Matriculam Vniuersitatis compleuerit studio vacando annum cum dimidio in hac Vniuersitate vel alia, aut in hac et alia priuilegiata stando inibi ordinarie, si autem extraordinarie iuxta Vniuersitatis statuta steterit, duos annos se compleuisse iurabit.

Secundo, quod a die intitulationis in Matriculam Vniuersitatis aut etiam Facultatis, si Baccalaureus fuerit, infra tempus completionis audiuerit omnes lectiones formales cum exercitiis secundum suum statum, vt praemittitur, a principio vsque ad finem diligenter ex textu proprio vel alio, ita tamen, quod audiendo ex alieno non nisimet secundus aut tertius fuerit.

Tertio, quod hucusque ab initio suae completionis omnes disputationes ordinarias Magistrorum visitauerit et Scolaris quidem a principio, Baccalaureus vero a propositione quaestionum vsque ad finem permanserit; quodque ad minus quater Magistris ordinarie

¹ dispensationem Codex. ² dispensationibus Codex. ³ neglectarum Codex.

et bis extraordinarie aliasque, quotiens a Magistro suae viae requisitus fuerat, responderit.

Quarto iurabit Baccalaureus in quadragesima quater et dominicis diebus iuxta Statutum disputasse; Scolaris vero iurabit, quod quater ad minus ordinarie dominicis diebus, et quinquies extraordinarie in quadragesima Baccalaureo, vel Baccalaureis, responderit, quorumque disputationes ordinarias omnes dominicis diebus a principio usque in finem permanendo visitauerit sine dolo. Si quis denique in praemissis, vel aliquo eorum, deficiat, hic coram tota facultate, priusquam admittatur, deponat dispensationem, si velit, petendo.

De Temptatoribus eligendis.

Voluit artium Facultas et ordinavit, quod Baccalaureis, siue Scolaribus, utriusque viae per totam Facultatem ad temptationem admissis elegantur per sortem quatuor Magistri pro temptandis in qualibet via, sic videlicet, quod tot schedulae connolutae in biretum ponantur, quot viuis viae fuerint Magistri Decano excepto, quarum schedularum quatuor tantum nomine Temptatorum signentur, quas quicunque Magistri extraxerint, pro Temptatoribus habeantur. Qui diligenter examinabunt cum Decano baccalaureandos, vel magistrandos, in his, quae gradum suum concernunt ita, quod per libros formaliter requisitos procedatur a Grammatica inchoando procedendoque a seniore ad iuniorum secundum ordinem in Matriculo Vniuersitatis conscriptum, vel Facultatis, si Baccalaureus fuerit. Itaque Scolari, vel magistrando, examinato mox deliberatio fiat, an sit admittendus, an non.

De iuramentis Temptatorum.

Ordinavit et statuit Facultas, quod, ut praemittitur, in Temptatorem electus temptandi onus assumere teneatur sub poena II florenorum fisco facultatis applicandorum, iuretque Temptator una cum Decano hoc modo:

Primo, quod nullum temptare velit, vel examinare, nisi per Facultatem, ut supra dictum est, admissum;

secundo, quod fideliter examinare velit ita, quod per eius torporem, aut negligentiam, dignos repelli et indignos admitti non contingat;

tertio, quod a temptando vel temptandis nihil recipiat, aut quouis modo extorqueat, neque aliquem ipsorum fauore indebito promoueat aut odio repellat, sed moribus et scientia temptandi diligenter pensatis dignum admittat et indignum repellat;

quarto, quod examinatos et promotos ponat in ordine et locet: baccalaureandos quidem secundum ordinem, quem in Matricula obtinent, nisi nobilitas personae, presbyteratus aut ordo siue etiam excessus notabilis aut morum leuitas suum ordinem mutauerit; magistrandos vero secundum sua merita, quae in his quinque praecipue attendi volumus, scilicet: scientia, moribus, eloquentia, spe proficiendi et nobilitate generis; quinto, quod nullus promotionem aut reiectionem ante publicatam Decani vocationem, neque alicuius locum aut solennem locationem nec solum aut alterius votum circa admissionem cuiuscunque, retardationem, reiectionem aut locationem, siue ante siue post Decani vocationem manifestare quouis modo praesumat.

De modo praesentandi baccalaureandos approbatos.

Statuit Facultas, vt quicunque Scolares a Temptatoribus cum Decano (quem semper ex officio adesse volumus) reperti fuerint idonei ad talem gradum, aut per maiorem partem eorundem indicati fuerint sufficientes (vel Decanus parilitate votorum existente secundum suam conscientiam declarauerit tales Scolares), per seniorem Temptatorem pro tunc in Facultate ad hoc congregata sine scrupulo conscientiae Decano vel eius vices gerenti praesententur. Qui tunc illos in Facultatem acceptare habeat et approbare, nisi canonicum obstiterit impedimentum, super quo taliter Magistros praesentes requirat faciatque, prout videbitur Facultati expedire. Et priusquam incorporentur siue in consortium nostrorum Baccalaureorum recipiantur, iurabunt ea puncta, quae postea continentur sub titulo de iuramento ante renunciationem¹ baccalaureandorum. Quomodo praesentari debeant Baccalaurei temptati domino Cancellario aut vices gerenti.

Voluit artium Facultas, vt Baccalaurei temptati, vt supra a Temptatoribus cum Deeano ad examen admissi per Decanum et Temptatores sine scrupulo conscientiae Domino Cancellario aut

¹ denunciationem Codex.

eius vices gerenti praesententur, et petat Decanus nomine Facultatis artium, quatenus ipse Dominus Cancellarius aut vices eius tenens Baccalaureis praesentibus temptatis et ad examen admissis examen aperire velit et vnumquemque eorum per schedulam sigillatam, in qua dies et hora et locus examinis signentur, solenniter, vt consuetum est, ad examen vocare. Placuit quoque, vt Cancellarius vel eius vices gerens cum Temptatoribus per Facultatem ad hoc electis diligenter per quindenam, nisi paucitas magistrandorum aliud suadeat, publice examinet, ita videlicet, quod singulis Doctoribus et Magistris liber pateat ad examen aggressus.

De modo praesentandi Baccalaureos examinatos.

Statuit Facultas, quod Baccalaurei examinati et, vt supra de praesentatione baccalaureandorum notatum est, ad magistralem dignitatem idonei reperti atque indicati per Vicecancellarium et examinatores Domino Cancellario vel per Decanum Cancellario vel vicem tenenti cum reuerentia debita et consuetis munuseulis praesententur petendo, vt ipse Cancellarius vel vicem tenens Dominis Baccalaureis temptatis, examinatis et indicio temptatorum gradu magisterii dignis hic iam praesentibus in priuato licentiam accipiendi insignia magistralia conferre dignetur, publice atque solenniter oportuno postea tempore et vtinam breui.

De incorporatione magistrandorum ad regentiam in Facultate artium.

Voluit obseruari Facultas, vt quiuis Baccalaureus postquam temptatus, examinatus et, vt praemittitur, Domino Cancellario vel vices gerenti rite praesentatus fuerit, ad consortium regentium in Facultate artium gratiose admitti petat, qui et a Facultate admittatur canonico cessante impedimento, super quo Decanus tunc Magistros praesentes requirat et faciat, prout Facultati videbitur expedire, et antequam incorporetur, haec subsequentia iurabit.

Iuramentum ante renunciationem¹ baccalaureandorem et magistrandorum in manus Decani coram Facultate praestandum.

Facultas statuit, quod quilibet promouendus ante renunciationem vel insigniorum susceptionem in manus Decani coram tota Facultate iuramentum praestet solenne, vt sequitur:

¹ denunciationem Codex.

Primo, quod debitam reuerentiam, oboedientiam et honorem Decano et Magistris Facultatis artium huius Studii deferat;

secundo, quod ad vocationem Decani compareat, quotienscunque pro bono Facultatis vocatus extiterit, quamdiu compleuerit vel rexerit, in illa Facultate;

tertio, quod infra mensem a tempore suae locationis numerato computandum cum scitu Decani praeuia solita in valuis intimatione sub suo Conuentore vel surrogato per eum, si baccalaureandus fuerit, magistrandus sub Decano pro tempore gradum recipere velit, adhibitis et obseruatis solennitatibus in huiusmodi actibus solitis et consuetis;

quarto, quod ad prandium renunciaturae¹ magistrandus inuitet omnes biretatos de gremio Vniuersitatis, baccalaureandus vero ad minus Rectorem Vniuersitatis, Decanum cum Temptatoribus et Magistros de consilio Facultatis artium, si expensae suffecerint;

quinto, quod expensas subscriptas in actu et ante actum persoluere velit.

Baccalaureandus persoluat:

Fisco Vniuersitatis . . .¹

Fisco Facultatis I. flor.

Conuentori suo pro cathedralibus I flor.

Pro prandio . . .²

Pro expensis examinis $\frac{1}{2}$ flor.

Pedello 5 gr.

Decano II. gr. pro intitulatura.

Magistrandus persoluat:

Fisco Vniuersitatis $\frac{1}{2}$ flor.

Fisco Facultatis II flor.

Rectori Vniuersitatis . . .³

Conuentori suo pro cathedralibus II flor.

Pro prandio Aristotelis expensabunt omnes de Facultate et Vniuersitate.

Pro expensis examinis I flor.

Pro laboribus Magistrorum temptatorum I flor.

¹ Die Summe fehlt im Codex. ² Die Summe fehlt im Codex. ³ Die Zahl fehlt im Codex.

Pedello 10 gr.

Pro prandio vero IIII. flor.

Decano promotori omnis I. flor.

Cuilibet respondenti biretum in valore $\frac{1}{2}$ flor. ad minus.

Item duo primi magistrandi Magistros temptatores et examinatores in biretis honorabunt, sicuti hactenus obseruatum est, videlicet in II. flor. cum dimidio.

Item Decano IIII. gr. pro intitulatura.

Sexto iurabit, quod complere velit annum integrum numeratum post suam promotionem hic in Facultate aut Vniuersitate. Declarat autem Facultas hunc complere Magistrum, qui totiens disputauerit, quotiens in anno suam completionem immediate sequente seu in anno completionis ordo tetigerit, et praeterea quater extraordinarie, Baccalaureum vero, si totiens ordinarie dominicis diebus disputauerit, quotiens in anno, in quo complere debet et proponit, ordo tetigerit, quinques quoque extraordinarie in quadragesima.

De iuramento in actu renunciaturae¹ a baccalaureandis et magistrandis praestando.

Statuit Facultas, quod promouendus, cum iam quaestionem suam pro gradus adeptione determinauerit, antequam ei gradus conferatur, ad delationem Notarii vel Pedelli Vniuersitatis iuramentum praestet, vt sequitur.

Baccalaureandus

iurabit, quod per amplius oboediens esse velit Rectori huius almae Vniuersitatis atque Decano Facultatis artium totique Facultati in licitis et honestis;

secundo, quod pro posse suo procurabit bonum huius almae Vniuersitatis atque Facultatis artium, ad quemcunque statum ipsum peruenire contingat;

tertio, quod istum gradum in nulla Vniuersitate alia resumere velit;

quarto, quod hic in Vniuersitate velit complere annum integrum post suam promotionem numeratum studio vacando, nisi super eo per Facultatem fuerit secum dispensatum.

Magistrandus

iurabit, quod Rectori, Cancellario et Vicecancellario huius almae Vniuersitatis decentem deferat reuerentiam et honorem;

¹ denunciaturae Codex.

secundo, quod pro posse suo procurabit bonum huius almae Vniuersitatis et Facultatis artium, ad quemcunque statum contingat ipsum venire;

tertio, quod istum gradum in nulla alia Vniuersitate resumat;

quarto, quod si contingat ipsum determinare aut respondere, in materia veritatem fidei tangentem, vt de creatione aut mundi aeternitate, vel huiusmodi, quod partem fidei teneat et rationes contra pro posse dissoluat;

quinto, quod complebit annum integrum post suam promotionem numeratum hic in Vniuersitate studio vacando, nisi per Facultatem artium super hoc cum eo fuerit dispensatum.

De debito Bursarum regimine ab eorundem Rectoribus aliisque obseruando.

Statuit artium Facultas, vt nullus Baccalaureus siue Scolaris ad aliquam Bursam assumatur aut iam assumptus foueatur, nisi sponte et libere in Bursarium praesentia palam et manifeste Conuentori bursae hanc subscriptam faciat promissionem:

Primo, quod contra Conuentorum Bursae non insurgat; eius directionem et informationem patienter audiat in licitis et honestis ei oboediendo;

secundo, quod nullas conspirationes aut ligas contra Conuentorem Bursae faciat faciendisque nullatenus interesse velit;

tertio, quod communitatem Bursae in suis vtensilibus, item et domum ipsam in structuris¹, fenestris, seris et aliis non laedat neque damnificet; quodsi quicquam de predictis laeserit, corrupert aut deturpauerit, quod ex tunc bona fide loco iuramentis infra diem naturalem, dum se (vt praefertur) excessisse discusserit, Conuentori Bursae se ipsum praesentabit et denunciabit sique laesa, fracta aut deturpata iuxta Rectoris Bursae arbitrium emendabit.

Amplius statuit ipsa Facultas, quod nullus Rector Bursae scienter aliquem non intitulatum Matriculae huius almae Vniuersitatis in Bursa sua vltra octo dies foueat sub poena vnius floreni.

Item, quod Conuentes teneantur expellere a Bursa publicos lusores et² meretricarios sub poena amissionis regentiae. Similiter inobedientes, rebelles et discolos et praecipue hos, qui consipa-

¹ structurus Codex.

² et fehlt im Codex.

tiones, discordias aut alia illicita in bursis excitant, dummodo moniti non destiterint, de Bursis dimittant et expellant cum effectu. Isto saluo, vt praefertur, expulsi nihilominus censem domus, lignalia et alia eos secundum consuetudinem Bursarum per mutationem contingentia aliaque pro actibus scolasticis iuxta ratum temporis in poenam suorum excessuum persoluent.

Item statuit, quod a Bursa propter dictas aut consimiles causas exclusi ad aliam nullatenus recipientur, nisi Rector Vniuersitatis vna cum quatuor Facultatum Decanis decreuerint, eos fore recipiendos, alioquin eos recipiens a regimine Bursae ipso facta sit suspensus.

Item nullus Bursalis ausu temerario cum suo contendat Conuentore, aut conuicia vel alia offensiua in publico vel in priuato ei dicat sub poena dimidii floreni.

Item nullus silentio per Conuentorem imposito rebellisare prae-sumat sub poena quartae partis floreni.

Quilibet etiam sub poena dimidii floreni commodum aperire tenetur, aut aliam quamcunque clausuram, quotiescunque per Conuentorem super eo fuerit requisitus.

Nemo denique lumina in suis cubilibus mungendo scintillas aut fauillas ad paumenta lignea domus proiiciat sub poena quartae partis floreni totiens quotiens fecerit.

Item nullus Bursarium coenam facere audeat vel prandium extra communitatem Bursae, nisi expressa Conuentoris licentia super eo obtenta, sub poena I grossi. Quodsi procurator vel aliis Bursae famulus per se aut alium quicquam contra dictum Statutum molitus fuerit, soluat poenam duorum grossorum.

Item, quod nullus Baccalaureus siue Scolaris alterum verbis aut factis contumeliosis et opprobriosis afficiat aut molestet, sub poena III grossorum. Quodsi alicuius offensio verbalis aut effe-tualis atrox fuerit, Conuentor Bursae offendentem Rectori Vniuersitatis denunciare poterit, cuius arbitrio poena iniungatur quan-titate delicti considerata.

Idem statuit de illis, qui vicinis aut aliis honestis personis circa Bursam realem aut verbalem iniuriam aut perturbationem intulerint, vel saltem instrumentis musicis indebiti vsi fuerint aliasque clamores aut strepitus fecerint indecentes.

200 VI. Die Statuten der Wittenb. Artistenfacultät v. J. 1504.

Item statuit Facultas, quod nullum eius suppositum in camera vel alias in quocunque loco, arma teneat sed, si quae habet, Conuentori Bursae indicatae praesentet sub poena amissionis armorum Conuentori applicandorum.

Statuit etiam, quod supposita Facultatis non magis tabernae vacent, dimicationi¹ aut qualitercunque contrario² philosophiae, neque ducant aut visitent choreas publicas sub poena retardationis.

Item, quod, si quis Bursarium cum suspecta muliere repertus fuerit, prima vice soluat quartam partem floreni, secunda vice duplum et sic³ deinceps et nihilominus a Bursa excludatur. Idem voluit per omnia obseruari circa cohabitantes eidem deliquenti et Rectori siue Conuentori Bursae non denunciantes.

Item, quod nullum Facultatis suppositum publice aut private pro pecunia ludere audeat sub poena III grossorum et exclusionis a Bursa, si aliquoties monitus non destiterit. Eidem poenae Facultas eos, qui in suis habitationes talos ludere permittunt, vult esse subiectos.

Item nullus praeter consensum Conuentoris Bursae seras quo-cunque ingenio vel modo aperiat sub poena vnius floreni. Idem statuit de illis, qui per insolitas ostiorum fenestrarum murorum vel tectorum aperturas ingrediuntur, vel egrediuntur.

Iterum, quod nullus absque licentia Conuentorum extra Bursam pernoctaret sub poena trium grossorum, siue in ciuitate, siue extra illam quis fuerit. Idem statuit, si quis hora nona vel postea a Conuentore quaesitus in Bursa repertus non fuerit. Similiter, si quis ad clausas Bursas, vt intromittantur, indiscretis pulsibus, strepitibus aut clamoribus vel inhabitantes vel vicinos molestare praesumserit sub eadem poena.

Item, quod audientes exercitia formalia in Bursis, in quibus non sunt locati, neque in eadem mensam habentes contribuant pro quolibet exercitio vnum denarium per septimanam, quamdiu stubam communitatis calefieri contingat.

Nullum etiam Facultatis suppositum in communitatibus Bursarum Theutonicum loquatur sub poena lupi. Statuit similiter, quod si quis Conuentorum pro honesto regimine sibi commissorum

¹ dimicaturi Codex.

² contrarium Codex.

³ etc. Codex.

quaedam rationabilia considerit Statuta, quod transgredientes illa poenas eorundem sine intermissione persoluant¹.

Item statuit Facultas, quod, si aliquis Scolarium vel Bacalaureorum poenas huiusmodi soluere recusaret, is Rectori Vniuersitatis denunciatus duplum persoluere cogatur, quodque memoratae poenae hoc modo distribuantur, videlicet quod poenae a Theutonisantibus et cum suspectis mulieribus² intrantibus datae communitati Bursae cedant ad expensas, aliarum poenarum sola tertia parte reicta Conuentori, salvo eo, quod iuxta praedictum Statutum arma Conuentori amissa remaneant.

De famulis Bursarum.

Statuit Facultas, vt quilibet Conuentor sub debito iuramenti non permittat scienter per quemcunque familiarem Bursae in emptionibus, venditionibus et aliis Bursam concernentibus fraudem committi.³ Neque etiam vllus Conuentorum per iuramentum de cetero aliquem in famulum Bursae recipiat, nisi fidelitatis iuramento praevio haec capitula continente:

Primo, quod iuxta posse et nosse Bursae vtilitatem et honorem procurare velit ipsique Conuentori in licitis et honestis oboedire;

secundo, quod nullam fraudem in emptionibus aut venditionibus carnium, panum aut aliarum rerum Bursam concernentium scienter committere velit, puta, quod aliquid pro certo pretio emat et Bursae illud carius vendat, aut consimiliter; neque aliquod pactum cum pistore, carnifice, aut alio quoconque habeat, quo communitas Bursae defraudari possit, viores scilicet panes aut carnes, vel cetera huiusmodi, recipiendo, aut huiusmodi carius disponendo;

tertio, quod nihil lucri directe vel indirecte, per se vel per alium, in panibus, carnis, vino ac aliis communitatem Bursae concernentibus recipere velit, salario⁴ sibi deputato dempto, sponte tamen quaecunque a Rectore Bursae oblata recipere poterit;

quarto, quod requisitus a Conuentore singulos excedentes, aut Bursam seu communitatem defraudantes eamque in seris, fenestris, et structuris damnificantes denunciare velit.

¹ persoluat Codex.

² muliebribus Codex.

³ committere Codex.

⁴ salario Codex.

De officio Pedelli Facultatis et eius iuramento.

Pedelli officium statuit fore Facultas: Decano pro tempore oboediat, ipsum quoque ad minus in die semel in domo sua visitet, ad mandatum ipsius Magistros diligenter conuocet, scolas purget, intimationes Facultatis artium conscribat, vacantias et festa Collegii intimet, in disputatione ordinaria a principio propositionum quae-stionum in finem vsque permaneat, in actibus publicis Magistros debito ordine locet et alia per Decanum aut Facultatem sibi iniuncta faciat. Praeterea Pedellus ab hoc oppido per vnum diem aut noctem sine speciali licentia Decani et expressa se non ab-sentet. Quodque in disputatione ordinaria cuiuscunque Magistri vel Baccalaurei, quem ordo disputandi tetigerit, vt proximo dispu-tare debeat, auiset. Et si is, quem ordo tetigerit, praesens non esset, vel quacunque occasione disputare recusaret, ex tunc statim Pedellus super eo Decanum auisare curet. Item, quod vota aut alia Facultatis secreta, etiam quaecunque in schedulis conuocatio-num contenta aut alias casualiter audita sine speciali mandato non reuelet. A principio etiam cuiuslibet Decanatus petat, si velit, a Facultate in officio suo continuari. Denique iurabit coram tota Facultate in manus Decani, quod officium suum fideliter et absque dolo et fraude exequi velit, prout sibi a Decano iniungitur.

De salario Pedelli.

Statuit Facultas, quod quilibet Baccalaureus in qualibet angaria teneatur Pedello persoluere IIII denarios, Scolaris vero III, alias ad promotionem aliquam non admittatur.

Item bacealaureandus tempore denunciationis, cum gradum assumere voluerit, Pedello quinque grossos persoluat, licentiandus vero tempore locationis in ecclesia totidem et similiter, cum in-signia magistralia receperit. Nec Pedellus ab aliquo istorum plus extorquere praesumat, nisi quis libere amplius expendere velit, tunc enim Pedellus gratuitē illud suscipere potest.

Contra vexatores in actibus publicis.

Ceterum non improuide statuit Facultas et obseruari voluit, vt nullus ipsius Facultatis artium Baccalaureus vel Scolaris, cuiuscunque extiterit conditionis, alium Baccalaureum siue Scolarem, Beanum seu Nouicium aut quemque alias condicionatum in

disputationibus Magistrorum vel Baccalaureorum, aut quibuscumque actibus scolasticis, praesertim publicis, verbis, factis vel signis quomodolibet vexare, molestare, vel perturbare praesumat. Nullus insuper praedictorum Baccalaureorum praesidente Baccalaureo dempto alii Baccalaureo suum argumentum in dictis publicis actibus soluat. Neque etiam Baccalaureus praesidens in solutionibus argumentorum Baccalaureos arguentes verbis afficiat derisorii, opprobriosis aut iniuriosis quibuscumque, sed argumentum, sicut videbitur, tranquillitate et modestia soluat sub poena grauiori procul huic mandato contravenientium¹. Quos etiam per Pedellum nostrae Vniuersitatis nobis sub praestiti iuramenti debito volumus denunciari.

Declaratio Facultatis super eo, qui in Bursa ordinarie stare dicatur.

Is dumtaxat in Bursa ordinarie stare censemur, qui in illa, vt censualis, moratur, Bursae mensam habet et ea vtitur, in conducta habitatione dormit et nocturno tempore quiescit, exercitia solita audit aliaque facit et operatur, prout ad incolas Bursarum spectare videtur et pertinere.

Quid et quantum Magistri pastus nomine leuare habeant.

Statuit artium Facultas, quod de cetero nullus magistrorum de aliquo exercitio plus quam iuxta ratum temporis exigere debeat, tempus, a quo quis primo die incepit audire exercitium, vsque in finem, quo alias tale exercitium iuxta Statuta expirare² debet, computando. Quod et quilibet Scolaris signare debeat, quatenus tempore solutionis Magistrum exercentem de eius inceptione eiusdem temporis certificare possit. Et si aliquis Scolarium Magistro plus, quam praefertur, dederit, nihilominus sequenti Magistro iuxta ratum temporis satisfacere teneatur. Magister vero, qui sic plus inbursauerit, Scolari pecuniam reddere et Facultati totidem pro poena soluere teneatur.

Item pro maiori commodo Bursae et habitantium in ea statuit Facultas, quod de cetero nullus Bursam inhabitantium, cuimscunque status aut conditionis existat, in cauam lapideam vel in curiam Bursae vrinam proiicere praesumat sub poena I grossi totiens quotiens irremissibiliter soluendi. Ad cuius poenae exactiōnem Conuentores sub suorum officiorum debito sint astricti. Item

¹ contrauenientes Codex.

² expiare Codex.

204 VI. Die Statuten der Wittenb. Artistenfacultät v. J. 1504.

nullus Scolarium extra Bursas locatus pro aliquo gradu complere censeatur, nisi ab Vniuersitate et a Facultate obtenta licentia, aut famulus sit Doctorum aut Magistri, vel saltem alias cum parentibus steterit.

Insuper statuit Facultas, quod nullus siue Baccalaureus siue Scolaris artium in mensa alterius Bursae faneatur, nisi in eadem Bursa locatus fuerit. Aliarum vero Facultatum Scolaris, vbiunque locatus extiterit, in lupi¹ et aliarum poenarum recompensam qualibet septimana vltra alias expensas necessarias II denarios soluat. Item nullus Magistrorum sub debito praefati iuramenti a Scolaribus pro resumptionibus eis factis plus recipere praesumat², quam de hoc sub titulo de resumptionibus actum reperitur.

De cetero denique nullas baccalaureandi expensas habere debent inductione Scolarium ad balneum, aut processionibus siue cum minutis³ siue absque talibus, sub poena non admissionis.

Statuta additiiuala per Conuentores edita et per Vniuersitatem approbata.

Statuimus, quod vnu de Conuentoribus in qualibet via habeat per diem vnam disputationem communem pro omnibus suppositis Bursae ad minus durantem per horam, in qua disputet vnum sophisma et vnam quaestionem, quam Scolaribus viderit vberiorem.

Item quilibet Decanus Facultatis artium astrictus sit disputationem Baccalaureorum ad minus semel infra mensem visitare.

Habeant etiam et habere debent Conuentores curam domus, ligna et alia domui necessaria per se vel alium temporibus magis congruis fideliter procurare nihil huius intuitu sibi usurpantes. Bursam debito tempore claudere disponant, claves apud se aut alium fidelem teneant, excessus iuxta Statuta corrigant et supposita incorrigibilia a Scolarium consortio excludant, sibique specialiter commissos, si ad studium inutiles videantur, committentibus denuncient, Magistros denique cohabitantes honeste tractent odio et amore seclusis. In quibus omnibus, si negligens repertus fuerit

remissus, in vno floreno totiens quotiens multetur tandemque, si non emendauerit, a Bursa excludatur.

Item Conuentores introitum et exitum singulorum de Bursa signent, ea cum diligentia censum domus colligent, qua suum

¹ lupo Codex.

² praesumant Codex.

³ minus Codex.

pastum exigere et colligere essent parati. Collectam quoque Vniuersitati vel eius procuratori, praesentent de quibus Vniuersitati et rationem faciant. Denique cameras iuxta Scolarium qualitatem et multitudinem atque ipsarum camerarum capacitatem pro vtilitate Vniuersitatis fideliter distribuant in huiusmodi suorum laborum recompensam et remunerationem sex denarios de quolibet floreno leuantes.

Item Conuentores omnia cathedralia suae viae, mensam bursalem sine vino, armaque in cameris reperta cum tertia parte omnium aliarum poenarum habeant, lupo et poenis propter viles mulieres¹ receptas exclusis. Nam lupum totum cum duabus tertii aliarum poenarum communitati cedere volumus. Possunt praeter ea cum aliis iuxta ordinem exercitia exigere, eligere et resumere, pro Baccalaureis tamen in fauorem aliorum nostrae Facultatis, pro Scolaribus nequaquam. Statuimus similiter, vt Magistri Bursam inhabitantes promittant bona fide, quod fideliter pro augmento et honore Bursae agere velint, Conuentoribus in licitis et honestis regimen et statum bonum Bursae concernentibus oboedire, nullas conspirationes aut ligas facere in² praeiudicium Bursae aut Conuentorum, neque his forsitan interesse, Scolares damnum communitatis Bursae aut structurae domus inferentes, aut alias excedentes Conuentori denunciare sine dolo, Scolares denique in correctionibus minime defendere sub poena suspensionis a regentia et exclusionis a Bursa. Magistri quoque nouis acti casibus pro bono pacis et honestate regiminis, si videantur aliqua bursalia Statuta Magistros aut Scolaris concernentia necessaria, condendi auctoritatem habeant et liberam facultatem relatione tamen in his ad praesidentes Bursarum praeeunte.

Item Magister vel Conuentor introducens suspectam mulierem in Bursam plecti debet prima vice poena II florenorum, secunda vice IIII florenorum et tertia vice, si sic reperiatur, a regentia suspendatur et a Bursa excludatur, super quibus Conuentores Magistros per iuramentum denuncient.

Sequuntur quaedam alia statuta de Conuentoribus.

De numero Conuentorum et eorundem electione actiua et passiua.

De cetero in qualibet via habeantur quinque Conuentores, quorum unus sit Oeconomicus, qui praesit vni exercitio modo, vt

¹ muliebres Codex.

² velit neque in Codex.

infra, et secundo praesit illis duobus actibus Bursae, scilicet computationi bursali fiendae omni septimana semel et hoc die sabbathi, secundo collationi census bursalis, alii quatuor praesint aliis quatuor, scilicet quilibet vni, exercitorum. De praedietis quinque debent duo esse Theologi, duo Iuristae, et unus Medicus; et hoc, si habeantur habiles sufficienter de predictis Facultatibus. Vno denique eorum cedente reliqui quatuor habeant facultatem alium eligendi in locum eius, qui cessit vel discessit, ita tamen, quod eligant de illa Facultate, de qua fuit, qui cessit, si alias inueniri potest is. Quodsi non, accedant Vniuersitatem petentes licentiam ab eadem eligendi aliquem de alia Facultate. Cui si petitio rationabilis visa fuerit, det eisdem licentiam petitam, qui eligant, quem velint, cuiuscunque Facultatis fuerit. Item Conuentores electionem per eos fiendam faciant praestito iuramento, vel fide loco iuramenti, quod eligere velint virum idoneum et utilem Bursae ac Facultati dolo et fraude seclusis. Item, si quando in electione quinti parilitatem fecerint votorum, Rector Vniuersitatis pro tunc habeat concludere.

Item quinque Conuentores habeant potestatem eligendi sextum, qui sit Resumtor pro solis magistrandis, qui et a quolibet magistrando leuare habeat per hebdomadam duos grossos in die per horam resumendo. Poteritque ille sextus esse de quacunque Facultate. Non minus, si per duas horas resumat, habebit de quolibet II grossos, unam in Physica et aliam in Logica.

Item iidem Conuentores una cum sexto Resumtore atque Collegiatis suae viae habeant eligere Magistrum paedagogio praesidentem, poteritque Paedagogista eligi de quacunque Facultate.

De actibus Conuentorum.

De cetero omni die, demptis certis, de quibus infra, habeantur in Bursa quinque exercitia: primum et generale in Logica Aristotelis veteri et noua per integrum annum, ad quod confluere habeant Scolares et Baccalaurei; secundum in tractatibus Petri Hispani¹ ac paruis Logicalibus; tertium in illis quatuor: scilicet Grammaticalibus Donati, ambarum partium Alexandri Latinitatibus ac generalibus paruorum Logicalium; et haec duo pro Scolaribus

¹ P. h. Codex.

fiant sub horis tamen, si fieri potest, in quibus¹ ad eadem confluere possint Baccalaurei, si qui velint, cessenque exercitium Alexandri ac actus bursalis, loco quorum tertium praedictum habeatur; quartum in libris Physicorum, de generatione, Ethicorum; quintum in de coelo et mundo, de anima, meteororum, paruis naturalibus, sub horis tamen, si fieri potest, in quibus ad eadem Scolares, si qui habiles essent et vellent, conuenire possint. Detque Scolaris per annum quatuor florenos et Baccalaureus quatuor cum dimidio, finitoque anno suae completionis det postea per mutationem.

Nullus Conuentor, vel ordinarius Resumtor, nec Paedagogista possit se immiscere aliis resumptionibus, quam sibi, ut dictum est, deputantur, nisi quis praedictorum haberet iuuenes sibi specialiter commissos a parentibus, aut aliis, quorum interest, tunc poterit illis resumere dolo et fraude seclusis, sic tamen, quod non resumat pluribus, quam quatuor. Habeantque ceteri Magistri a praedictis potestatem resumendi Scolaribus ad baccalaureatum, aut alias facere eis resumptiones demptis resumptionibus ad magisterium.

Item inter quinque Conuentores semper unus sit hebdomadarius, cuius sit facere illa:

Primo constituere lupum et illum legere;

secundo visitare de nocte ter vel quater in septimana secundum exigentiam;

tertio praeesse clausioni et apertioni Bursae;

quarto prouidere mensae bursali, nisi ex causa alium ex solis tamen Conuentoribus substituat;

quinto suscitare Scolares ad exercitia de mane atque festiuis diebus ad diuina ad eademque eos processionaliter deducere praelecta schedula tam ad exercitium, quam ad diuina;

sesto in sua hebdomada una cum Oeconomico interesse computationi bursali.

Item omnes quinque debent inhabitare Bursam, nisi ex rationabili causa quatuor quinto licentiam darent et tres quarto, et non ultra.

De consilio Facultatis.

Omnes Collegiati, Conuentores, ordinarii Resumtores et Paedagogistae sint de consilio Facultatis siue complexerint biennium siue non, et nulli alii.

De Temptatoribus.

Soli illi, qui sunt de consilio praedicto Facultatis, elegantur in Temptatores.

De Collegiatis.

Collegiati elegantur hoc modo, scilicet per quatuor Decanos quatuor Facultatum cum Collegiato illius viae, de qua fuit, qui cessit vel discessit. Et semper sint duo in qualibet via, inter quos quatuor duo sint semper Theologi, unus in una, alter in alia via, alii duo sint de Facultate iuris et medicinae.

¹ in quibus fehlt im Codex.

De conditionibus Conuentorum.

Primo omnes paris sint auctoritatis ac pares in pastu dempto, quod Oeconomicus mensam habeat bursalem et solarium sibi ab Vniuersitate deputatum et hebdomadarius per hebdomadam suam, alias nullus Conuentorum habeat mensam bursalem.

Secundo praedicti quinque habeant suas stubellas, a quarum censu sint omnino liberi.

Tertio quod nullus se absentet a loco, nisi ex necessaria et rationabili causa. Et tunc suum exercitium vel officium, per alium Conuentorem vel alium, si recusaret, prouideat, si possit.

Quarto nullae habeantur vacantiae, sed omnibus diebus cogantur Conuentores exercere demptis, qui sequuntur, diebus: scilicet festis Ecclesiae, festis Collegii et festo Iuonis¹, dummodo in eadem hebdomada non acciderit aliquod festum Collegii vel Ecclesiae, diebus Rogationum, item sub horis, sub quibus fit diuinum officium et processio, in hebdomada sancta a quarta feria vsque ad quartam feriam Paschae² inclusue, in Carnispriuio a secunda feria vsque ad quartam inclusue, item hora quarta in vigiliis celebrium festorum, item sub horis, in quibus fiunt disputationes in superioribus Facultatibus et etiam ordinariae in artibus, et quibus fiunt solennes actus Vniuersitatis aut promotiones.

Quinto prudenter exerceant libros eis deputatos, ita vt materiam sterilem transiliant, quatenus vtiliori diutius immorari possint, puerilia in Aristotelis Logica transiliant, remittentes ad Petrum Hispanum³ et e regione difficilia in Petro Hispano⁴ ad Aristotelis Logicam remittant, ne aliter faciendo eandem materiam bis exercere contingat et aliam nec semel dictam omitti. Idcirco libri Aristotelis eodem tempore cum Petri Hispani⁵ tractatibus eisdem correspondentibus et in Topicis, similiter in Elenchis, Aristotelis generalia faciant, et cetera ad Petrum Hispanum⁶ remittant.

Sexto finito anno vel dimidio, si se Oeconomicus grauatum officio Oeconomiae putet, assumat alius, quem vel sorte, si voluerint, eligant, dummodo super computatorem et census collectorem aut inhabilem, non ceciderit. De exercitiis etiam finito anno poterit quis alium cursum eligere. Itaque reliqui teneantur permutare cum ipso, qua sorte vel arte in cursibus diuidant.

De biretis gerendis a Scolaribus Facultatis artium.

Baccalaurei et nostrae Facultatis Scolares a delatione biretorum non sint prohibiti sique Statuto Vniuersitatis illud est confirmatum.

Exarata sunt haec Statuta, reuisa et correcta anno Domini millesimo quingentesimo quarto: sub Decanatu celeberrimi Magistri sacraeque Theosophiae Baccalaurei, Magistri Thomae Koellin, Sueuo ex Gamundia, tunc Facultatis Decano et manutentore diligentissimo.

¹ Louis Codex. ² pascae Codex. ³ P. h. Codex. ⁴ Ph. Codex.
⁵ Ph. Codex. ⁶ Ph. Codex.

Neue Mittheilungen

aus dem Gebiet
historisch - antiquarischer Forschungen.

Im Namen

des mit der Königl. Universität Halle-Wittenberg
verbundenen

Thüringisch-Sächsischen Vereins


für Erforschung des vaterländischen Alterthums
und Erhaltung seiner Denkmale

herausgegeben

von

dem Secretair desselben

Dr. J. O. Opel.



Dreizehnter Band.

Auf Kosten und im Selbstverlage des Vereins.

Halle,

im Bureau des Thüringisch-Sächsischen Vereins.

Nordhausen,
in Commission bei Ferd. Förstemann.

1874.

62613